

XIX. Denique citata Principum edicta ostendunt, fac non esse in Belgio Episcopis, sua auctoritate populum compellere ad danda temporalia per modum collectarum; sed Regia auctoritate, & consensu opus esse: quod & in receptione Concilii Tridentini monuere Concilia Regia.

Cum enim Margarita Parmensis Belgii Gubernatrix Decreta Concilii Tridentini de reformatione nomine Philippi II. misisset ad Senatus Regios, *ad c. 4. sess. 21. de reform.* qua datur Episcopis facultas novas Parochias erigendi; & si necesse fuerit compellendi populum ea subministrare, quae sufficiunt ad vitam Sacerdotum sustentandam: "Communis omnium Senatum nota fuit, compulsionem illam populi & exactionem illam fieri, non posse sine auctoritate Regia, neque hanc jurisdictionem Ecclesiasticis Judicibus umquam competisse." Anselmo in Triboniano Belgico. *cap. 3 §. 2.*

CAPUT IV.

Quo ordine Decimatores sint portioni congruae subjecti; & quouel que?

1. Decima specialiori titulo ad Parochos spectantes pra reliquis oneri portione congruae subjecta.
2. Hoc ex capite decima Novales & minutae ante alias excutienda.
3. Decima nominatim huic portioni subjecta ante alias excutienda.
4. Olim passim tertia pars pro Parochorum sustentatione a Decimatoribus relinquenda.
5. Hac tertia pars postmodum ad Capitula & Monasteria transfuit.
6. Qui hanc tertiam possident ante alios Decimatores ad portionem congruam tenentur.
7. Hac tertia pars unvri non solet nisi cum onere congrua portione.
8. An decima ultimo incorporata ante alias teneantur.
9. Primitivi Pastores pra reliquis Decimatoribus videntur obligari.
10. Patroni Ecclesiastici solent esse Pastores primitivi, & eatenus ad portionem congruam obligari.
11. Non semper sunt Pastores primitivi.
12. Pastor primitivus quomodo a Vicario pro consequenda portione congrua conveniri possit?
13. Quando Decimatores teneantur pro decimarum portione quam possident contribuere.
14. Ratio quae videtur ab hoc onere excimere decimas infundatas.
15. Possessus ante Concilium Lateranense excimere videtur Edictum Philippi II.
16. Ob onera decimis infundatis inhereant ratione feudali, videntur ab hoc onere excimende.
17. Ratio suadens eas ad portionem congruam debere concurrere.
18. Decima haec tamquam partim laicales, partim Ecclesiasticae subsidiariae in defectum aliarum decimarum contribuunt.
19. Decima infundatae ad Ecclesiam reverse huic oneri subjecta tamquam Ecclesiasticae.
20. Etiam si titulo oneroso sint acquisita.
21. Secus videtur dicendum, si cum onere feudali sint reverse.
22. Edictum Philippi II. indistincte eas obligare videtur.
23. Decima ex sua institutione sunt ordinata ad sustentationem Parochorum.
24. Non sunt ad alios translata nisi deducta portione congrua.

25. Onus dandi hanc portionem est reale perpetuo decimis inhaerens.
26. Non absolvuntur ab hoc onere licet semel portio congrua fuerit assignata.
27. Nihil cedit Decimatoribus, nisi quod super abundat detracta portione congrua.
28. Id ipsum declaravit Synodus Julibonensis.
29. Decimatores tamdiu manent huic oneri subjecti quamdiu decimas retinent.
30. Portio Parochi debetur licet nihil Decimatoribus superesset.



Decimas aliquas magis proprie & specialiori titulo pra alii Parochi competere, titulo praecedenti notatum est. Cum ergo haec decima specialiter Parochi competant, & cum majori quasi violentia ipsi adimantur, & quomodo quoque apparet, ut si Parochi decimis portio congrua assignari debeat, potius est decimis specialiter Parochi competentibus, quam ex aliis decimis desumatur. Decima haec enim pra alii oneri portione congruae subjecta sunt, sicuti primitias & oblationes ante decimas pro conficienda portione congrua excutiendas esse capite praecedenti notatum fuit; idque ea ratione, quod specialiori titulo debeantur Parochi, quam decima.

II. Hoc ex capite, decimae novales ante decimas veteres pro conficienda hac portione excutienda sunt: quia proprie Parochorum sunt; quod & Zypaeus notavit *Consult. 4. De Parochiis n. 5.*

Pari ratione decimae minutae, utpote non secus ac novales ad Parochum speciali titulo spectantes (ut titulo praecedenti *cap. 6.* dictum est) huic oneri ante decimas majores seu grossas subjectae sunt; solentque haec Vicariis perpetuis, exclusis Decimatoribus majoribus, adjudicari.

III. Si inter decimas majores reperiantur quaedam nominatim aut specialiter in competentiam sive portionem congruam assignatae & addictae, haec etiam ante reliquas in hanc portionem congruam imputandae sunt.

IV. Olim usitatum erat, ut laici aliique decimas possidentes, tertiam earum partem relinquerent in sustentationem Parochorum & Ministrorum Ecclesiarum Parochialium; atque per hanc tertiae partis assignationem obligationi sustentandi Parochum satisfacere volebant; uti post alios citatos auctores notat Zypaeus *Consult. 4.*

V. Successu vero temporis, cum nonnumquam decimae adeo excreverent, ut vel tertia pars decimarum notabilem annuatim summam conficeret: videreturque, quod detracta portione congrua Parochorum, adhuc multum superesse posset, caperunt nonnulla Capitula aut Monasteria impetrare Ecclesiarum Parochialium incorporationem una cum hac dote: scilicet, tertia parte decimarum; aut si Ecclesiae alii essent jam unitae, tertiam hanc partem decimarum, quae primitus in sustentationem sive portionem congruam Parochorum erat relicta, sibi incorporate.

VI. Cum ergo haec pars decimarum specialiter ab ipsis Decimatoribus primitus in portionem congruam data sit: etiam speciali ratione huic oneri subjecta manet, ad quemcumque possessorem transiverit.

Neque Decimatores qui alias duas partes decimarum possident ad portionem congruam tenentur, quamdiu tertia haec pars decimarum exhausta non est: quandoquidem ipsi hanc tertiam partem in Parochorum sustentationem dederint: atque per eam assignationem eatenus saltem satisfecerint obligationi dandi congruam

gruam portionem, ut eam dare ulterius non debeant, quamdiu haec tertia, ab ipsis in congruam portionem assignata, sufficit.

VII. Accedit, quod in unione seu incorporatione istius tertiae partis inferatur solita clausula referens super hac parte decimarum, quae incorporatur, portionem congruam ipsius Vicarii.

VIII. Quando igitur decimae aliqua in sustentationem Parochorum seu Vicariorum remanserunt, & haec postmodum alicui Capitulo aut Monasterio fuerint assignatae, indubie tunc verum erit, quod dicit Zypaeus *citata Consult. 4.* nimirum ante alias decimas ad portionem congruam tenentur illas decimas, quae ultimo ab Ecclesia Parochiali tunc decimae, ad eam rationem quae in donationibus inofficiosis est; ut si a quopiam facta sint diverso tempore, & per eas legitima liberorum lesa, ultima tantum donatio eatenus rescindatur, quia ea sola est inofficiosa. *L. 7. Cod. De Inoff. Donat.*

IX. Adhaec inter decimarum possessores ante reliquos ad congruam portionem ordinarie tenentur hi, qui dicuntur primitivi Pastores; qui solent possidere ipsas Ecclesias Parochiales incorporateas cum decimis & proventibus sub expressa conditione assignandi Vicario congruam portionem, si ipsi per se curam earum Ecclesiarum non habeant.

Præterea de jure communi in *Clem. 1. De jure Patronatus* "Dioecelani sub obestratione Divini judicii districte inhiherent, ne praesentatum alquem perquam, cumque personam Ecclesiasticam jus praesentandi ad Ecclesiam aliquam habentem admittat, nisi intra certum terminum competentem per Dioecelanos ipsos praesentantibus praefigendum, ipsi praesentato fuerit coram eis congrua de proventibus Ecclesiae portio assignata. Quam si forsitan iidem praesentantes intra terminum ipsum assignare neglexerint, ne factum eorum noceat praesentato, statuitur, ut ex tunc Dioecelani debeat praesentatum (nisi aliud Canonice obstat) admitti, & in poenam praesentantium, ad Dioecelanos ipsos potestas assignationis hujusmodi devolvatur.

X. Porro Patroni Ecclesiastici ad portionem congruam suis praesentatis assignandam ideo specialiter astringuntur, quia, uti recte notat Zypaeus *citata Consult. 3.* ratio accidit in Ecclesiasticis, ut ipsi Parochiales Ecclesias extirxerint, vel dotaverint: cum res Ecclesiae suae alienare nequeant; & si de suo dederint Patroni laici nomen habeant. Quare qui hodie dicuntur Patroni Ecclesiastici, & una Ecclesiarum Parochialium, quarum sunt Patroni, decimas percipiunt, non solent esse veri Patroni; sed primitivi Pastores titulo unionis dictarum Ecclesiarum; atque in ea qualitate praesentare Vicarium; cui congruam portionem eo titulo assignare tenentur.

Nec mirum, nullam in dicta Clementina nec Jure Canonico, fieri mentionem *Pastoris primitivi*: quia nomen illud primitivi Pastoris recentius est collectione Corporis Canonici, quo hodie utimur: sed quos nunc Pastores primitivos dicimus, tunc plerumque Patroni Ecclesiastici nuncupabantur.

XI. Dubitandum tamen non est, quin interdum jus praesentandi a jure primitivi pastoris, qui vi unionis & incorporationis ad congruam portionem speciatim obligatur, sit junctum; quo casu si dubiteret, num quis sit primitivus Pastor, nec de unionis & incorporationis forma & conditionibus sit constet, ad alia indicia & argumenta, quae Pastoris primitivi jus innuunt, recurrendum erit; v. g. Si Canonici vel Religiosi eorumve Praelati jus habeant functiones aliquas Ecclesiasticas certis diebus in Ecclesia parochiali obeundi; Parochus ipsos ut Superiores suos in aliquibus agnoscat teneatur; si decimas minores aut novales, quae Parochis pra alii decimis speciali titulo reservari solent, perci-

pian, aliave jura exercent, quae primitivis Pastoribus reservari solent.

XII. Dum igitur ex his aliisve argumentis constat, quis sit Ecclesiae parochialis Pastor primitivus inter decimarum possessores poterit Vicarius sive Parochus contra illum directe agere ad congruam portionem eamque integram, relicto aliis decimatoribus: salvo regresse Pastori primitivo adversus alios decimarum possessores; & ita 17. Martii 1634. in parlamento Dionensi judicatum testatur Carolus Fevret *lib. 6. tract. De Abusu cap. 6. §. 10.* Et tamquam indubitatum tradit Grimaudet *lib. 2. De Decimis cap. 3 num. 7.* additque: "Quod si congrua portio fuisset assignata, sed sufficiens non esset, deprehenderetur, Vicarii contra Pastores primitivos, vos agere deberent coram Episcopo, ad hoc ut condemnentur & cogantur supplere exemplo filii, cui parte reliquit portionem suorum bonorum pro legitima; quae si sit insufficiens, potest filius agere ad supplementum; eo quod pater nequeat filio relinquere minorem portionem quam legitimam. Insuper causa Parochorum est favorabilior, quia omnes redditus Ecclesiae parochiales non dantur nisi ob curam animarum, quam ipsi Vicarii seu Parochi sustinent; & valde scandalosum est in Ecclesia (in qua omnia juxta meliorem disciplinam deberent esse ordinata quod ubi laborent, & alii otiosi manducant eorum salaria & substantiam.

XIII. Si non constet, quis inter plures decimatores speciali titulo ad portionem congruam sit obstrictus, neque ullus ipsorum sciatur ullas decimas, speciali titulo huic oneri obnoxias possidere tenebuntur omnes pro quota decimarum, quam quisque possidet, ad portionem congruam concurrere.

XIV. Bona laicorum per collectas, sive impositiones non gravanda, nisi in defectum primitiarum & decimarum capite praecedenti dictum est.

Cum vero decimae infundatae hodie quasi bona patrimonialia possideantur, atque de illis, non secus ac de patrimonialibus disponant, uti titulo praecedenti *cap. 4.* probatum, dubitari posset, num similes decimae aliter quam reliqua bona laicorum huic oneri sint subjecta.

XV. Edictum Philippi II. Regis Catholici ad Synodum Cameracensem in contributionem portione congruae vocat decimas existentes in manibus laicorum, si modo probari queat, eas ab Ecclesiasticis ad laicos pervenisse post Concilium Lateranense sub Alexandro III. Verba Edicti sunt: *Ensemble celles que l'on pourra verifier avoir este achapees, ou autrement acquises par gens laiz des Ecclesiastiques depuis le premier Concil de Latran qui fut l'an mil cent septante neuf sous Alexandre troisieme.* Id est. Deinde illas quas probati poterit ab Ecclesiasticis Laicos emisse aut acquisivisse a celebrato primo Lateranensi Concilio sub annum 1179. sedente Alexandro III. Videtur ergo Edictum ab hoc onere exemisse decimas infundatas quae non probantur post dictum Concilium laicis fuisse acquisitas.

XVI. Accedit, quod cum haec decimae cum onere feudi transferantur ad laicos; atque laici ratione illarum ad certa servitia sive onera obstringantur Ecclesiis a quibus decimas infundatas tenent, & quomodo quoque videtur, ut ab oneribus eximantur, quae aliis decimis inhaerent.

XVII. Verum cum decimae illae institutae sint, & a populo dentur ut Parochis & Ministris de sustentatione provideatur; atque eatenus quasi violentie ab Ecclesiis Parochialibus fuerint abstractae, apparet, aliam non fuisse Pontificum aut Episcoporum intentionem, quam ut Laici eas decimas retinerent, quamdiu ipsis parochis aliunde esset provisum: neque populus, qui

qui illas decimas in parochorum sustentationem offert...

XVIII. Itaque quia decimae infeudatae partim sunt bona Laicalia & quasi patrimonialia...

XIX. Notandum fuit ut in precedenti cap. 4. decimas infeudatas si ad Ecclesiam vel Corpus aliquod Ecclesiasticum revertantur...

Hinc ulterius deducitur, eas & quoad portionem congruam, non ut infeudatas & laicales, sed ut Ecclesiasticas esse reputandas...

XX. Quin & portioni congrua obnoxias esse, tametsi titulo oneroso ad Ecclesiam revertantur...

XXI. Hanc decimarum infeudatarum ad pristinam naturam reductionem operatur ipsa decimarum ad Ecclesiam reverfus...

Inde consequenter statuendum videtur de his decimis cum eo nexu ad Ecclesiam revertis...

XXII. Sed an hanc distinctionem patiatur citatum Edictum Philippi II, ad Synodum Cameracensem...

primitive nature. Id est, Hanc nostram mentem esse declaramus, ut ad Canonicam portionem & Ecclesiarum reparationem suppedient decimas...

XXIII. Porro cum decimae quasi ex sua natura & primava institutione sint ad hoc ordinatae...

XXIV. Imo nec decimae Capitulis, Monasteriis aliisque concessae sunt, nisi prius deducta portio congrua...

XXV. Itaque recte post Rebuffum alioque notavit Zypaeus Consult. 4. De Parochiis num. 8. onus hoc dandae portio congruae esse onus reale & permanens...

XXVI. Hinc ulterius concluditur, quod si jam pridem assignata portio congrua perierit, vastata sit, aut mutatis temporum locorumque circumstantiis incompetens...

XXVII. Ulterius ex eodem principio deducitur, quod Capitula, Monasteria, aliive quibus decimae sunt concedendae, nihil ex illis pretendere queant...

XXVIII. Id ipsum jam pridem expressit Concilium Julio-bonen'se a Wilhelmo Rege Angelorum...

XXIX. Similiter hinc statuendum, quod decimarum possessores oneri manent subiecti...

XXX. Recte quoque eodem ex principio concludit Rebuffus loco citato nu. 101. "Et si temporalia, vel alii reditus

reditus beneficii non fuissent nisi Vicario; tunc praeretur Vicarius, tum quod illud temporale prius erat datum...


Quibus consonat Antonius Faber in Codice lib. 1. tit. 2. Defin. 52. asserens, "cerum esse, Parocho aut eis qui Parochi vices gerunt magis favendum esse...

CAPUT V.

Portio congrua tamquam causa alimentorum judicanda & assignanda.

- 1. Causa portio congrua est causa alimentorum.
2. Hinc in ea summarie procedendum.
3. Portio debet provisionaliter adjudicari, si causa moram trahat.
...
24. Frustrum mentio non taxationis, sed demonstrationis causa censetur facta.

- 25. Quod solvitur in redemptionem decimarum, debetur nullis fructibus crescentibus.
26. Decimaros sterilitatis commodo gaudentes, debent & sterilitatis onera ferre.
27. Non est aquum, ut in casu sterilitatis Vicarii semper cum summo rigore exigant integram portionem a Decimatoribus.



Ausam portio congruae esse causam alimentorum negari nequit; quandoquidem certum sit, portio- nem congruam primario & direc- tae assignari in sustentationem & alimentationem Presbyterorum curam animarum sustententium...

II. Hinc imprimis inferitur, quod sicuti in causa ali- mentorum summarie procedi, & provisionalis ad judi- catio fieri solet; ita & in hac causa procedi debeat...

III. Quare tamquam indubitatum tradit Rebuffus, "quod si Parochus aut Vicarius congruam portionem petat, & processum tractum & dilationem recipiat, de- beat ei per modum provisionis adjudicari proviso con- gruae portio, donec videantur jura utriusque, & alia...

IV. His conforme est decretum Synodi P. II. Mechli- niensis tit. 17. capit. 4. "Si contingat occurrere aliquam dif- ficultatem Pastoribus in assignanda judicio Episcopi...

V. Potest autem haec provisionalis adjudicatio peti in qualibet parte litis, etiam post litem contestatam; imo et- iam post sententiam, quae transiit in rem judicatam...

VI. Notabile occurrit arrestum apud Tournerium in sua collectione arrestorum Litt. P. num. 126. quod conductor decimarum condemnatus fuit ad solvendam portionem congruam 360 librarum...

Ut vel hinc pateat, Senatum judicasse, haud æquum esse, ut ad aliquod notabile tempus, parocho sua portio congrua deesset...